SAN GEMINI HISTORIC ARCHIVES PROJECT
Realizzato e sponsorizzato dal San Gemini Preservation Studies
e l'Associazione Valorizzazione Patrimonio Storico San Gemini Onlus
www.sangeministudies.org

ARCHIVIO STORICO COMUNE DI SAN GEMINI
Progetto di Digitalizzazione
Tutti i documenti originali e copie digitali fanno parte
dell' Archivio Storico Comune di San Gemini

Universitas hominum } S.cti Gem.i
Terrae }

Spectabili viro, humanitatisque litterarum professori D.no Valerio Fedenij de Interamna nobis plurimum dilecto salutem. Virtutum clarum merita, artisque grammaticae, poeticae, et oratoriae peritia, quibus apud nos et nostram communitatem fide dignorum testimonio commendaris, nos, nostramque communitatem inducunt, ut te quibus possumus favoribus, et gratijs prosequamur, sperantes, quod ea, quae tibi in huiusmodi exercitij facultate commiserimus, bene, laudabiliter, et accurate geri curabis. Hinc est, quod te eundem Valerium Fedenij de Interamna in praeceptorem grammaticae, et cancellarium dictae terrae S.cti Gem.i bonum bene elegimus, et deputamus ex omni nostra, et communitatis nostrae, et per consilium generale concessa auctoritate, et arbitrio, per unum annum proxime futurum, inchoando prima die, post harum praesentationem, et ut sequitur feliciter finiendo, et deinde ad beneplacitum nostrae communitatis, cum salario scutorum sexaginta monetae, domo, habitationis, et cum omnibus alijs emolumentis solitis, nostrae cancellariae, honoribusque, et oneribus hactenus dari solitis, et consuetis, in quorum fidem has praesentes fieri fecimus nostro solito sigillo munitas. Datum S.cti Gem.i in palatio publico sub die viiij Junij MDLxxxi.

Josephus Lamy S. de m.to

Altre risoluzioni consiliarj si vedano di sopra a carte 126: che sono dentro quest'anno 1581: e la prima sta notata sotto li 16 Luglio, e ciò doppo la notata qui sopra 11 Lug.o di questo stesso anno, in cui si tratta della divis.e del Poggio agg.o

Archivio Storico
Comune di San Gemini (TR)
Reg. C. 39, c. 583 v.

© Tutti i diritti d'autore al documento ed alla copia digitale appartengono all'Archivio Storico Comune di Stroncone,TR
© All copyrights to this document and to the digital copy belong to the Archivio Storico Comune di Stroncone, TR